DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICA
SISTENS

CASUS NECROSEOS OSSIUM,
MAXIME
OB SCROPHULAM.


QUAM
PRAESIDE
GUILIELMO GODOFREDO
PLOUCQUET
MED. DOCT. ET PROFESSORE PUBL. ORDIN.

PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
AUCTOR

CHRISTIANUS HENRICUS GRASEMANN,
MOENO-FRANCOFURTANUS.
SOCIETATIS MINERALOGICAE JENENSIS SODALIS.

TUBINGAE MENSE APRILIS MDCCCVII.

TYPIS REIS- ET SCHMIDIANIS.



PROOEMIUM.

Pro specimine academico liceat mihi casus aliquot medico-chirurgicos ex Praxi Optimi Patris, J. G. GRASEMANN, Chirurgi Francofurtensis proponere, qui, tenui meo judicio haud inter vulgares pertinent, et nexum necroseos cum morbo scrophuloso pandunt, atque simul notabilis regenerationis substantiae osseae exemplum sistunt.

CASUS I.

Anno 1779. mense Aprili, puer novem annorum, filius scriniarii, scrophulosae labis haud immunis, gravi invadebatur odontalgia. — Nonnullis domesticis remediis adhibitis, dolores post viginti quatuor horas cedebant; quos autem vehementes dolores brachium dextrum corripientes insequebantur. Magnus in brachio apparebat tumor, sese usque in scapulam extendens. Octo diebus jam elapsis, Pater meus arcessitus est. Re diligentius examinata, infra musculum deltoideum rubor apparebat. Emollientia applicat cataplasmata, ac viginti quatuor horis elapsis, pus matu-

rum venit in conspectum. Illico apostema aperuit, ac pus profluens in vasculo exceptum, quatuor librarum pondus paene aequabat. Instituta exploratione, os humeri arrosum reperiebatur, quod demum per effluxum materiei nigrae sese necrosi affectum manifestavit. Aegrotus interea valde languebat, febre ac capitis dolore affectus. Cortex chinae aliaque hic indicata remedia haud multum solatii procurabant. Denique sudores profusi ac diarrhoea superveniebant, morsque fores pulsare videbatur; ichor tenuis, acris ac foetidus effluebat. Asam foetidam Pater nunc applicavit, etsi febris esset vehementissima ac sudores et diarrhoea pergerent. Hocce novum remedium insigniter profuit. — Duobus diebus interjectis febris, una cum sudoribus ac diarrhoea cessit, somnus et appetitus redierunt, et octo diebus praeterlapsis aegrotus surgere et in cubiculo incedere potuit. — Nunc dosis asae foetidae usque ad drachmam unam quotidie aucta fuit. Doses adhuc majores, nausea et vomituritiones sequebantur. Brachii vero tumor perstabat, jam fomentationes et injectiones ex decocto herbarum aromaticarum cum liquamine myrrhae applicabantur. Tumor mollior ac os mobile evadebat: Nunc vulnere dilatato, per aptam encheiresin maximam partem humeri necrosi affecti exemit. — Remediis aptis adhibitis, vulnus brevi tempore coibat, cum ossis reproductione. Integer processus per novem duravit menses; adhibita diaeta blanda, nutriente, bonae concoctionis. — Puer postea scriniario se addixit opificio, et jam opifex ac trium natorum pater, semper plena gavisus est sanitate. —

CASUS SECUNDUS.

Anno 1796. mense Augusti sutor veteramentarius, cum filiolo suo duorum annorum, patrem meum accessit, auxilium petens pro puero. Miser ille infans solummodo repebat, ambulandi enim facultate carebat. Corpus ejus erat difforme, extremitates superiores et inferiores plane erant tabidae, venter tumidus ac durus.

Ad claviculam dextram conspiciebatur tumor durus, ruber, dolorificus. — Cataplasmate emolliente imposito, tribus diebus pus formatum, et apostema apertum est. Mox clavicula a sterno plane secedens et arrosa apparuit. Pater instituit injectiones aromaticas camphoratas, ulceri applicuit digestiva cum myrrha, ac die decimo quarto altera extremitas claviculae quoque secessit. Nunc thoraci apparatum aptum applicavit, ut humerus cum altero humero aequabilitatem servaret. — Voluptati erat patri, hunc puerum, tempore duorum mensium, sanatum videre cum reproductione claviculae. Medicamenta interna applicari non poterant, quidquid enim vi illi intrudebatur, illico evomebatur. Praecipuum illius nutrimentum erat panis decocto Coffée cum lacte et saccharo intinctus, et praeterea utebatur decocto glandium tostarum, pondere drachmarum duarum quotidie adhibitarum. Hoc illi maxime profuit: post aliquot dies dosis glandium ad dimidiam unciam aucta fuit. In abdomen linimentum volatile camphoratum inungi, ac clysmata ex herbis aromaticis cum Asa foetida applicari, jussum fuit; interdum balnea ex aqua tepida, quibus decoctum Bynes ac lupuli admixtum erat adhibebantur. Ita abdomen normalem formam recuperavit, ac puer jam sanitate optima gaudet. —

Plura adhuc exempla similia, in quibus asa foetida in ejusmodi ossium morbis eximae utilitatis fuit, ex Praxi Patris mei enumerare possem. Sufficiat hic allegare testimonia huc facientia Berenbroeck *), Block **), Richter ***), Schneider ****), Hufeland †). Schmalz ††), Thilenius †††).

EPICRISIS.

§. 1.

In modo memoratis historiis, praecipue in secunda evidens erat nexus corruptionis ossium cum morbo scrophuloso: Ex hac vero coëxistentia omnino per se non sequitur nexus causalis, verumtamen, si morbum scrophulosum propius contemplemur, patebit, dictam ossium depravationem potuisse illius effectus esse, et, si plura exempla eandem in iisdem subjectis coëxistentiam probaverint, certe, quantum quidem in rebus physicis conjecturare possumus, à vero non adeo aberrabit ortus necroseos ex scrophula, licet ideo nequaquam asserere velim, omnem necrosin ab ea pendere, sed potius convictus sum, eam plura alia momenta remotiora agnoscere posse et solere.

---

*) Histoire de la Societé R. de médecine à 1777. et 78. p. 247.

**) Schmucker vermischte Schriften. I. Bd. p. 151.

***) chirurg. Bibliothek IV. Bd. p. 21.

****) ibid. V. Bd. p. 543.

†) Journal der praktischen Heilkunde IX. Bd. 3tes St. p. 99.

††) in Loder Journal für die Chirurgie II. Bd. p. 710.

†††) Medizinische und chirurgische Bemerkungen p. 104.

§. 2.

Praecipua phaenomena et symptomata morbi scrophulosi, quantum quidem ea ex parte ipse observavi, partim ex melioribus autoribus, praecipué HUFELANDO *) et GIRTANNER **) colligere potui, sunt sequentia:

Infantes, in quibus seminium morbi scrophulosi latet, magna ex parte ab imbecillis, scrophulosis parentibus sunt generati ac nati. — Plerumque praediti sunt, cute subtili alba, genis mire rubicundis, flavis capillis, oculis coeruleis, venis subtilibus perlucentibus, capite magno, fronte prominenti, fontanellis diu patentibus. Labium maxime superius eminenter tumet, maxilla inferior lata est, collum breve ac debile. — Habitus corporis pinguior, saltem apparenter talis cernitur, dum plerumque magis spongiosus, laxus est. Musculi sunt molles et vieti, unde ex parte facies pendula apparet. Physiognomia eorum, qui simul in rhachitidem propensi sunt, est quasi senilis, mature literas et verba enunciant, plerumque albi illis enascuntur dentes, saepe autem anomalo ordine; Sero ambulandi potentiam acquirunt, femora et tibiae eorum sunt tenuia, debilia, facile flexilia, caduca. Hinc et sedere amant, et coacti magis repunt, quam ambulant. Facultates ingenii mature evolvuntur, perinde ut sexuales stimuli, unde et ad onaniam maxime sunt propensi. —

Multum inclinant ad rhevmatismos, catarrhos chronicos, oppressiones pectoris, tussim pituitosam, effluvia ex auribus, ex-

*) Ueber die Natur der Scrofelnkrankheit.

**) Ueber die Krankheiten der Kinder.

coriationes, aphthas, tineam capitis, herpetem, aliasque impetigines. Oculi jam vividi, jam languidi, circa eos vides circulos lividos, pupillam patentem. Stimuli, vel si mavis, acrimoniae organa genitalia infestant, unde pruritus, profluvia, praecox salacitas. Abdomen aliquantum intumescit. — Dentium aliorumque ossium efformatio retardatur, illique citius iterum depravantur, labuntur. Praeter dyspepsiam, magna ad acidum morbosum inclinatio, ad pituitam, ad vermes observatur, urina quandoque albida, lactea, plerumque plus aequo acidi continens phosphorici, deprehenditur. Halitus et sudor gravem, nonnunquam alliaceum spirant odorem. Morbo ulterius progrediente plerumque primi nodi circa collum, versus cervicem apparent, nec non aliae glandulae conglotatae, ut inguinales, axillares &c. pari modo afficiuntur. Tumores sunt laeves, rotundi, mobiles, anodyni, magnitudine et numero saepe functiones vicinarum partium turbant, quin suspendunt, oritur anhelatio, colli rigor. Vitium proserpit quoque ad glandulas conglomeratas, praecipue salivales. Glandulae tumidae interdum inflammationem ac tandem suppurationem subeunt, sine sensibili dolore, atque viscidum et non laudabile pus edunt. Saepissime corripiuntur ophthalmia, in qua pustulae ac vasa expansa in Cornea conspicuuntur, glandulae Meibomianae graviter afficiuntur, nec non fistulae lacrymales oriuntur. Denique cum glandulae mesentericae gravius patiuntur, atrophia, quin mors ipsa sequi solet.

§. 3.

Mitior morbus quandoque, sua sponte, aetate progrediente

evanescit; observatum quoque est, eum in stadio pubertatis novo quasi impetu novas sibi sumere vires, glandulasque magis intumescere, suppurare, dein vero quasi valedicere; Nonnunquam tamen et rudera suppurationum et ipse glandularum tumor *συναποθνησκουσι.*

§. 4.

Aetiologia scrophulosi morbi quaerenda erit tam in vitiis organorum, quam in vitiis lymphae, sive primitive, sive secundarie talibus, et quidem in concursu utriusque generis anomaliarum, utpote sine quo tam eminens qualitas specifica deduci vix ac ne vix quidem poterit.

§. 5.

Inter momenta procatarctica praecipue pertinet haereditas, et quidem duplici modo spectanda: Parentes scrophulosi gignunt prolem, iterum scrophulosam, ita ut haec dispositio per longam seriem posterorum propagari queat; Dein parentes, etsi ipsi morbo scrophuloso non laborabant, luxuriosam autem vitam gesserunt, vel syphilitide laborarunt, quae sive non penitus exstincta fuerit, vel gravitate sua, morâ, repetitione, organismum potenter alteraverat, — pariter infaustam hanc dispositionem natis suis affricare possunt. Caeterum omnis debilitas, quatenus integrum organismum afficit, etiam functiones systematis lymphatici ut facilius turbandas sistet, adeoque ea, undecunque inducta fuerit, pariter momentis praeparantibus adnumeranda erit.

§. 6.

Ex sic dictis causis occasionalibus vel determinantibus, quae,

prius recensitis accedentes morbi ipsius formam producunt, plures sunt, quae apud sanos caeteroquin infantes occurrentes, dispositionem fundant, et fundatam dein per continuationem sui incursus in eruptionem adigunt: Huc spectant cibi indigesti, aër humidus, mephiticus, et universae diaetae pravitas.

§. 7.

Ipsius morbi genesis, vel, ut ajunt, constructio tam ex momentis operantibus illustratur, quam et ex anatome cadaverum scrophulosorum: Vasa lymphatica, et, quae ex his componuntur, glandulae tumidae quidem, sed nequaquam, ut olim putabatur, adeo infarctae, induratae, rarioribus casibus exceptis, repertae sunt, ut potius dilatatae, injectiones facilius admittentes deprehensae sint. Hic status non modo tardiorem motum lymphae per vasa, sed et ipsorum horum inertiam ratione suarum functionum innuit.

§. 8.

Cum autem reciproca actio et reactio vasorum in contenta, horumque in ea facile, et fere necessario mutationes chemicas inducat, sponte patet, abnormem et anomalam actionem illorum etiam abnormem et anomalam crasin chemicam contentis inducturam esse, unde dives fons ulteriorum depravationum, stimulationum et tantum non omnium mutationum pathicarum, et praecipue ejus, quod aliâs ultro acrimonias appellavere, promanabit.

§. 9.

Hanc vero abnormem actionem et reactionem, sive in mera insufficientia, sive in specifica anomalia ponatur, unam et solam

ejusmodi depravationum matrem esse, minime contendimus; videtur potius ex aliis morbis, maxime exanthematicis admixtio materialis ad lympham, nec non contagium aliquod pariter eam, etsi forte multis modis modificatam inducere.

§. 10.

Medela, morbo scrophuloso appropriata, hanc Theoriam confirmat, constat enim partim in remediis, quae actionem vasorum et nervorum in organis maxime secretionis et excretionis incitare, et sic harum functionem vivificare, augere valent, partim in mere roborantibus. Verumtamen, cum non indifferens sit, an hoc vel illud organon secretionis stimuletur, nec, per quaenam remedia id fiat, hic ipse selectus differentiam naturae dyscraseos illius indigitabit, quae iterum modo ad exanthemata, modo ad alios morbos specificos pertinere videtur, id quod exinde patet, quod remedia in hoc illove morbo specifico convenientia jam huic tantum scrophuloso, jam vero illi, levamen, vel sanationem procurare solent.

§. 11.

An et quomodo vero depravatio ossium, et speciatim necrosis ex hisce oriri queat, id generaliter quidem ex laeso systemate lymphatico, cujus partes in assimilatione, nutritione, vel, ut ajunt, reproductione etiam ossium omnino momentosae sunt, patere videtur, cum autem natura necroseos, quam cum carbonificatione comparaveris, in suis originibus nondum adeo comperta sit, etiam potentiae nocivae eam producentes tam accurate indicari nequeunt.

§. 12.

Offert se jam nobis altera ex parte mira illa claviculae, quae tota deperdita erat, reproductio: Exstat casus analogus in Mémoires de l'academie royale de Chirurgie *), abs d'Angerville observatus, quem, cum ipsum nostrum illustrat, ipsis verbis ibi exstantibus huc transferre juvat: Un jeune homme âgé de vingt six ans, se presenta à l'Hotel Dieu de Paris, le 7 Septembre 1765, pour s'y faire traiter, d'un dépôt à la partie supérieure de la cuisse, et de deux ulceres fistuleux situés sur la clavicule gauche, l'un du côté d'acromion, et l'autre vers le sternum. M. Moreau, qui examina cette clavicule avec M. d'Angerville, la trouva denueé de son perioste, et carieé par ses deux extremités; l'os isolé et vacillant n'etoit contenu que par la peau; aussi M. Moreau l'enleva-t-il avec beaucoup de facilité; il lui suffit de le pousser un peu du côté du sternum, et d'en faire passer l'extremité à travers l'ulcere de la peau, pour le saisir et d'en faire l'extraction. M. d'Angerville apprit du malade, qu'il avoit eu precédemment sur la clavicule un gonflement inflammatoire, pour lequel il avoit été saigné, qu'on y avoit appliqué des cataplasmes; qu'il s'étoit formé une suppuration, et que depuis trés-longtems on pansoit les ulceres avec un melange d'onguent de la mere, et d'emplâtre diachylon gommé. D'après ce recit M. d'Angerville jugea, que la Nature avoit fait beaucoup plus, que l'art en faveur de ce malade; mais il ne soupçonnoit pas encore tout le bien, qu'elle avoit operé: Il ne s'en apperçut, qu'en voyant executer tous les mouvements,

*) Tom. V. p. 361.

dont le bras est capable, avec autant de facilité, que du côté sain. A la place de la clavicule enlevée, il y avoit un corps dur et solide, qui en remplissoit toutes les fonctions. La mort du malade, arrivée peu de tems aprés par les suites facheuses de la tumeur de la cuisse, procura à M. d'Angerville le moyen de voir et d'exposer aux yeux et au jugement de l'academie cette clavicule secondaire ou regenereè, laquelle ne differe ni en longueur, ni en solidité de la premiere, mais seulement par la figure, étant plus applatie, et moins ronde dans son corps, ayant d'ailleurs avec d'acromion et le sternum les mêmes connexions, que la clavicule primitive. — Cariosae claviculae rarum exemplum habet Ludwig *). Aliorum ossium, praecipue cylindricorum, ut tibiae &c. regeneratorum exempla prostant numerosa, verumtamen in omnibus, quantum mihi rescire licuit, initia, capita, et fines integra erant, ita ut ex iis regeneratio jacturae inchoaret: Quamvis etiam haec reproductio non nisi phaenomenon est, ex aeternis organismi legibus procedens, tamen id ex elongatione vasorum, ex appositione particularum convenientium, sive simpliciter ex penu materiae animalis depromtarum, sive prius aliquantum immutatarum, ex cooperatione punctorum vicinorum, vi assimilatrici gaudentium utcumque intelligere nobis persuademus, verum integrantium partium deperditarum restitutionem, qualis in aliis animalium generibus locum habet, v. c. cancri, non nisi ut stupendum organismi opus admirari possumus. Dubitavit quidem Schaperus **) de veritate facti, quin id plane negavit, exstant

*) De quarundam aegritudinum C. H. causis et sedibus. Tab. XI.

**) Medicinae curiosae specimen: Quid tenendum sit de proverbio usita-

autem experimenta, regenerationem chelanum cancrorum, nec non pedum integrorum, quin et aliarum partium satis superque testantia. At par ratio nec in classe volucrium, nec mammalium reperitur, ita, ut resarcitio allegatorum ossium cylindricorum fieri posse non videatur, nisi ex punctis adhuc illaesis capitum, finiumque. Haec quoque est sententia LAMBLOT *) contendentis: Il faut d'abord admettre, que ces os reproduits et regenerés n'etoient pas si entierement cariés, qu'il ne restât à chacun d'eux quelques petites portions exemtes de la carie, et par conséquent aussi intactes, aussi saines, et aussi vives que les parties molles le sont sous une escarre gangreneuse seche. — Que le perioste de ces mêmes os ayant echappé au moins dans une certaine etendue, à l'action morbifique, a servi de trame, de plancher et de moule, de concert avec les autres parties environnantes, tant au developpement et à l'expansion des vaisseaux des extremités osseuses saines, qu'à la condensation de la lymphe nourriciere ou suc ossifique, qui exudoit de l'extremité des ces mêmes vaisseaux. —

§. 13.

Nisus reproductionis, cujus facultas maxime in vasis et nervis ponenda esse videtur, insignem habet energiam, uti experimenta, abs TROJA **) instituta comprobant, qui per destructionem medullae in tibiis columbarum necrosin iis induxit, et postea no-

---

tissimo: Hände und Füſse wachsen nicht wieder, wie die Krebsscheeren. ROSTOK 1753. 4.

*) Mémoires cit. p. 362.

**) De novorum ossium regeneratione experimentum. Paris 1775.

vam thecam osseam iis superinductam reperit. Eandem energiam videmus in necrosi ossium humanorum cylindricorum ex causis aliis morbificis enata, utpote fit, ut per eundem organismum novae thecae ossi emortuo inducantur, hocque, in nova hac capsula reclusum diu ita moretur. Galli ejusmodi separatum frustum ossis sequestre vocant: cujus plura exempla allegant CHOPART *), WEIDMANN **), ACREL ***) &c. In regeneratione autem claviculae, is modus, cum tendentia reproductionis ex periosteo centrifugam potius directionem cepisse videtur, locum habere non potuit, et loco intussusceptionis, juxtapositio organi utrumque similis facta est, quae caeteroquin in intima organismi actione, cum priori satis analoga erit: an momenta cooperantia abs Lamblot, §. 12. allegata, ita plane assumi possint, in medio linquimus.

§. 14.

Cernîmus exinde, etiam in causis gravissimis nil desperandum esse, beneficamque naturam, vel, si mavis, organismum à Creatore nobis concessum mala, nulla arte superabilia, nonnunquam tollere, summasque jacturas restituere: Arti autem omnino incumbit, ut oblatis auxiliis, quantum potest, ad scopum propositum concurrat, et levi quandoque opera opus naturae inchoatum penitus perficiat, qualis hîc loci est terebratio et corruptorum re-

---

*) Diss. de necrosi ossium. Paris 1766. traduct. in Samml. auserles. Abhandl. für pract. Aerzte. VI. B. p. 195.

**) De necrosi ossium. p. 47. 48.

***) Chirurgische Vorfälle II. B. p. 120.

motio: Reliqua sanatio sive praevia ustione, sive aliis incitantibus *) sollicitata, quatenus morbus localis est, cum fiducia exspectari potest, modo altera ex parte ex fonte diaetetico sufficiens aptae materiae quantitas suggeratur, tonus organorum relevetur, et in universum vires probe sustententur.

---

*) WEIDMANN über den Mißbrauch des glühenden Eisens, um brandige Knochenstücke abzulösen.